

dem, quod, si sermo sit, de agentibus posterioris census, fieri  
 non possit, ut una numero actio ab iis proveniat, de prioris  
 verò ordinis agentibus si loquamur, quin ab iis eandem  
 numero actionem provenire posse adstruamus, nihil causæ  
 videmus. Sanè exempla è natura de prompta de hoc nos  
 dubitare minime patiuntur. Unico jam rem demonstratam  
 dedit satis sit. Faber & malleus causæ sunt à se invicem  
 diversæ, puta illa principalis, hæc vero instrumentalis, atta-  
 men cum essentialiter sint subordinata, unâ eâdemque acti-  
 one in effectum eas influere, non repugnat. Quis enim non  
videt, actionem fabri & mallei, quâ clavus producitur,  
esse unam eandemque? Creaturas vero DEO essentialiter  
 subordinatas esse, tam operosè & solidè non solum à Philo-  
 sophis, sed & Theologis evictum est, ut jam ultra in id ipsum  
 demonstratur noctuas Athenas portare velle nobis videa-  
 mur. Ad 2. Re p. DEUM concurrere mediantibus causis  
 secundis, ambiguè dici : 1. quod DEUS ad varios Crea-  
 turarum effectus concurrat quidem, sed non nisi remotè, ita  
 ut eos in se planè non attingat, sed quatenus tamen Creatu-  
 ras iisdem producendis habiles reddiderit, concurrere, quâ-  
 vis remote, dicendus sit. 2. Quod cum causarum effe-  
 ctus immediate attingat, eos tamen citra creaturarum secun-  
 darum consortium non producat. Priori modo si an-  
 tecedens argumenti intelligatur, est manifesta petitio ejus,  
 quod in principio. Hoc ipsum enim est, quod nos in solidum  
 negamus ; quin potius intrepide asserimus, Deum influxu  
 suo omnes omnino effectus, creaturarum secundarum, per  
 concursum quidem generalem immediate attingere; in pri-  
 ori, consequentia perit. In 3. N.C. ex eo fundamento, quod  
 defectus, quo hunc vel illum effectum laborare deprehen-  
 dimus, reducendus sit ad illam causam a qua esse suum proxi-  
 mum & specificum habet: hoc autem sicuti habet à causa par-